

hominis officium est, in finem sibi propositum oculos conjicere, & ea, quæ ad finem consequendum commodissima & aptissima sunt, eligere. Quem admodum enim navigaturi primum quidem quem debeant portum petere, vident; deinde eo navigationis cursum dirigunt: ita vir prudens, in quem finem fuerit a Deo conditus, prudenter attendit; deinde cetera omnia providet. Constat autem, in hunc finem hominem a Deo conditum esse, ut suæ illum felicitatis & beatitudinis consortem efficeret. Quo fine nihil excogitari potest magnificentius, nihil sublimius. Non enim alia Dei, alia conditi hominis, sed eadem felicitas est, quæ in aperta divinæ pulchritudinis contemplatione consistit: quamvis se ille plenissime comprehendat, nos autem illum aperte quidem videamus, minime tamen comprehendere possimus. Qua sit autem via ad hanc gloriam perveniendum, Salvator exposuit, quum pio cuidam adolescenti dixit: (a) *si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Hic igitur finis est, fratres, ad quem a summo rerum omnium Domino ficti &

(a) *Matth. 19. 17.*

informati sumus; ut nobis quidem hæc amplissima cæli ac terræ palatia, nos vero conditoris nostri mandatis obtemperantes, immortalis vitæ, atque sempiternæ felicitatis compotes efficeremur. Non enim ad ludum aut jocum, non ad epulas, & foedas carnis voluptates, non ad fluxas & interituras opes congerendas optimus ille ac sapientissimus opifex pulcherrimam hanc mundi fabricam condidit. Indignissimum enim tanta illa sapientia & bonitate erat, hanc tantam rerum molitionem ad res adeo futes & inanes condidisse, & continua providentia tot sæculis moderari, nisi aliquid majus atque sublimius animo destinasset. Hujus autem rei vel ignoratio, vel oblivio, malorum omnium, quæ in mundo geruntur, causa est: quum homines, finis sui obliti, per devios saltus, variosque anfractus viarum errabundi miserrime vagentur. Sic enim multi vivunt, quasi ad sola hujus mundi bona fruenda nati essent; quasi in hoc sæculo non ut peregrini, sed ut cives vitam agerent; quasi hic non ut in exilio, sed velut in patria & geniali solo degerent.

rent. Hæc igitur malorum omnium, quibus mundus scattet, causa & origo est. Quam rem sanctus ille propheta lamentabatur, quum diceret: (a) *sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui.* Quia igitur hæc oblivio tot malorum causa est, merito quidam vir sapiens his verbis Dominum precabatur:

Largire ergo mihi, rex o dignissime regum,

Ut te cognoscam, & placeam tibi: deinde sciam me,

Quid sim, qua in terris causa productus, & unde

Huc veni, aut quo tandem vita functus abibo:

Quid mihi, dum vivo, sit agendum, sitque cavendum.

Hoc ipsum igitur nos assiduis precibus a Domino contendere debemus, fratres, ut veram solidamque prudentiam assequamur, & quid nobis, dum vivimus, facto opus sit, intelligamus. Hoc est enim fidei lampadi oleum infundere, dum ea opera molimur, quæ nos ad eum finem consequendum adjuvant, quem nobis fidei lampas præscribit.

Est & aliud viri prudentis officium, magnam videlicet temporum habere rationem, &

quid unumquodque illorum exigat, studiose providere. Tres enim prudentiæ partes philosophi statuunt; memoriam, quæ præteritum tempus recolit; perspicentiam, quæ præsentem se tempori accommodat; & providentiam, quæ futura, prius quam eveniant, vel ex causis antecedentibus, vel ex præteritarum rerum collatione prospicit & antevertit. Sic enim prudentes duces & imperatores, adversus hostium exercitum dimicaturi, in pace ea sibi præsidia atque arma comparant, quibus in armorum certamine usuri sunt. Quum ergo inter omnia, quæ futuro tempore speramus, nihil morte certius, nihil sit periculosius, quandoquidem extremus ille dies de tota æternitate sententiam feret; prudenter viri boni tota se vita ad hunc finem præparant, neque ullum negotium huic anteferendum censent. Unde quemadmodum prudentes navitæ tranquillo mari navis armamenta præparant, ne eos exorta subito tempestas imparatos inveniat; ita vir probus atque prudens tranquillo vitæ tempore futurum mortis, reddendæque rationis periculum cogit.

(a) *Tbren. 1. 9.*

gitatione prævenit, & quibus se ad illud rationibus parare possit, tota mente providet. Sera enim ad pericula in ipsis periculis præparatio est. Ad hoc autem nos cælestis magister in sacra hujus diei lectione hortatur, quum & hac ipsa virginum parabola, & aliis, quæ præcedunt atque sequuntur, ad vigilandum excitat. Quid enim aliud vigilare est, quam somnum atque dormitantiam a mentis nostræ oculis excutere, & semper in procinctu esse, semperque in excubiis adventantis Domini præsentiam expectare? His igitur de causis viri probi atque innocentes prudentium virginum appellatione a Domino designantur. Virginitate enim incorrupta eorum fides, ut ante diximus; prudentia vero hæc omnia viri prudentis officia significantur.

§. II.

Ceterum improbi homines diversa ratione fatui appellantur, quod hæc omnia viri prudentis officia prorsus negligant; utpote qui non consilio, aut ratione, aut fide, aut divinis oraculis, sed temeritate, cupiditate, affectibus, & cæco multitudinis judicio vitam

& actiones suas dirigunt. Primum enim, nullam prorsus finis, ad quem a Deo conditi sunt, rationem habent. Quo fit, ut ignorato, aut perperam constituto fine, neque se ipsos agnoscant, & itineris, per quod tendere deberent, obliviscantur. Itaque miseri & amentes intra se ipsos quasi peregrini in aliena regione errant: alia sciunt, se ipsos nesciunt: aliena indagare cupiunt, sua negligunt: aliorum & genus, & parentes, & fortunatas, & felicitatem inquirent; numquam autem, unde primum orti, unde in hunc mundum missi, quis eorum parens, quis opifex, quis condiderit, in quem finem condiderit, ad mentem revocant. Quo quid est dementius? quid a rationali creatura magis alienum? Hujusmodi namque hominem prophetica voce Dominus corripit, quum ait: (a) *qui vides multa, nonne custodies? qui apertas habes aures, nonne audies?*

Venio nunc ad aliam non minus miserandam perditorum hominum fatuitatem atque insaniam: in qua non modo pueris infantibus, sed belluis etiam quam simillimi sunt. Ait enim

(a) *Isai. 42. 20.*

enim Cicero: (a) „inter hominem & belluam hoc maxime interest, quod hæc tantum quantum sensu movetur, ad id solum quod adest, quodque præsens est, se accommodat, paullulum admodum sentiens præteritum aut futurum. Homo autem, qui, quoniam rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt, earumque progressus & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, rebusque præsentibus adjungit atque annexit futuratur; facile totius vitæ cursum videt, ad eamque degendam præparat res necessarias. „Hactenus Cicero. Si igitur hac in re homo a belluis distat, quod non solum præsentia, sed etiam præterita, ac præcipue futura, ex causis antecedentibus prospicit ac providet; inter ea autem, quæ futuro tempore servantur, mors omnium certissima, maximeque omnium formidabilis sit: an non belluis similis erit, qui sola præsentia curat, hoc vero certissimum maximeque formidandum periculum prorsus negligit atque contemnit? Quum enim mors nobis o-

mnibus ex æquo impendeat, ac pæne in foribus cuique & in insidiis posita sit, & in ea decerni divino judicio debeat, utra nobis fors in tota sæculorum æternitate contingere debeat; hoc est, ut vel in cælo omnibus delitiis cum Deo & beatis illis mentibus perpetuo fruamur, vel in gehenna cum principe tenebrarum æternis ignibus torquendi simus; totaque hujus tanti negotii summa in eo posita sit, ut paratos nos hæc hora deprehendat, quemadmodum cælestis magister nos in sacra hujus diei lectione docet: quum hæc ira sint, quid, quæso, dementius, quam quod nos sic vitam nostram instituamus, sic terrenis rebus incumbamus, ut nulla hujus tantæ rei cura, nullo metu & sollicitudine tangamur; sed in maxima pace & tranquillitate in utramque aurem dormiamus, perinde atque omnia, quæ hac de re nobis divinitus nuntiantur, mera somnia atque fabulæ essent?

Auget autem stultitiæ & sordidiæ hujus admirationem, quod ubi de terreno aliquo lucro, aut hereditate, quæ post mortem expectatur, agimus, mors & incertus vitæ exitus

(a) *Cic. de Offic. lib. I. cap. 4.*

sollicitos nos efficit, & crebro illius memoriam refricamus: quum vero de præparatione ad ea, unde salus & æterna vita pendet, differimus, non magis illius recordamur, quam si immortales & æterni essemus. Itaque si quod vel principis vel ecclesiæ beneficium cum vita simul finiatur, dictu mirum est, qua cura & sollicitudine, mortis memores, damus operam, ut illud ad heredes nostros post mortem transferatur. Tunc enim anxii sumus, tunc de incerta mortis hora solliciti trepidamus, ne illa intercepti, beneficium cum vita simul amittamus; qui tamen, an cum ipsa corporis vita æterna mors nobis subeunda sit, nihil omnino curamus. Nec in his solum rebus, sed in omnibus etiam aliis, in quibus aliqua utilitatis ratio habetur, incerta mortis conditio cogitatur. Qua de re sic D. Chrysostomus: (a), sæpe vir quando uxorem ducere vult, mortis meminit in desponsatione, & scribit in dote. Nondum introducta est, & mors statim describitur. Nondum convixerunt, neque nuptiæ habitæ, & mortem statim definit. Nondum nuptam vi-

dit, & mortis adversus illam calculos proponit: scribit enim in hunc modum: *si mortuus fuerit vir ante mulierem, si mulier ante virum, hoc & hoc disponatur.* Sic formatæ sunt patriæ leges. Ubi que omnibus naturæ sunt monumenta, & non solum eorum, qui sunt & vivunt, mortis feruntur sententiæ, sed & eorum, qui nondum nati. Quid enim ultra dicit? *Quod si natus fuerit filius, & mortuus fuerit, &c.* Nondum natus, & sententia lata est. Haecenus ille. Ex cujus verbis colligere aperte licet, quam sit lamentanda perditorum hominum fatuitas atque dementia; qui, quum tantam incertæ mortis rationem habeant, ubi aliqua terrenæ utilitatis jactura, aut commoditas intercedit, nullam prorsus ejusdem memoriam retinent, quum res omnium maxima in discrimen vocatur. Quis igitur hos vere fatuos & amentes non judicet, qui, quum tantam præsentis vitæ curam habeant, tamen neque futuri temporis, neque reddendæ rationis ulla cura tanguntur?

Hoc est igitur, fratres, quod me tanta admiratione afficit, ut

(a) Chrysost. 3. Tom. homil. de fide & Spiritu sancti.

ut frequenter etiam in stuporem adducat. Quis enim non stupeat, quum videat homines, qui rerum etiam minimarum, quibus fluxæ opes, aut popularis aura periclitantur, tantam curam habeant, rei omnium, quæ cogitatione fingi possunt, maximæ, nulla cura moveantur. Si in academia Salmanticensi primaria juris civilis cathedra discipulorum suffragiis alicui candidatorum tribuenda est, ubi schedulis suffragia in urnam conjiciuntur, totaque academia, atque adeo tota civitas suspensa hujus rei exitum præstolatur; qua sollicitudine, quo æstu & angore candidatorum pectora agitantur, quæ sibi sors obventura sit, expectantes! Si ergo hujus incertæ sortis expectatio adeo mentes hominum sollicitas reddit, in qua de rebus craftina die perituris agitur; quo nam modo extremæ illius sortis atque sententiæ expectatio, qua vel in cælis omnium deliciarum copia frui debemus, vel in gehenna tam horrendis pœnis torquendi sumus, agitur, mentes nostras non stupefacit & concitat? Monstri simile esset, si oculorum acies, puncta minima a-

perce cernens, ingentem molem ac montem minime cerneret: at quanto monstruosus est, minimarum rerum cura disrumpi, maximarum vero, & rerum naturam omnem superantium, nulla sollicitudine commoveri?

Aristoteles ultimum terribilium esse mortem asseruit: at longe aliud judicium habebit, qui Dominum audit in evangelio dicentem: (a) *nolite timere eos, qui occidunt corpus, & post hoc non habent ultra quid faciant. Ostendam vobis quem timeatis. Timete eum, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem mittere animam in gehennam:* ita dico vobis, hunc timeate. Quales sint autem gehennæ cruciatus, quot pœnarum genera, quanta eorum acerbitas, etiam gentiles philosophi atque poëtæ aliquo modo præsenferunt. Sic enim quemdam eorum, post varia ejus loci tormenta enumerata, dicentem legimus: (b)

*Non, mihi si lingua centum sint, oraque centum,
Ferreæ vox, omnes scelerum
comprehendere formas,
Omnia pœnarum percurrere
nomina possim.*

Nullus enim sensus, nulla vis ani-

(a) Matth. 10. 28. (b) Virgil. Æn. VI. 625.

animæ ibi est, quæ non peculiari aliquo cruciatu commissorum pœnas luat. Ut hoc autem aliqua saltem imagine intelligatis, fingite hominem ad eo vehementer podragæ morbo laborantem, ut nullum sit in toto ejus corpore membrum, nullus in manibus pedibusque articulus, nullæ in cruribus, brachiis, humerisque juncturæ, in quibus non acerbissimo dolore crucietur: atque hoc modo is in lecto decumbat, tot veluti spiculis undique sauciatus, voces & clamores miserandos in cælum tollens. Hac igitur imagine, si præsentia mala futuris assimilari licet, pœnarum illarum acerbiter poteritis utcumque animo contemplari. His etiam adjungite atras illas tenebras, & profundam noctem, cui nulla succedit aurora; horrendas dæmonum larvas, edacem conscientia vermum, scorpiones atque serpentes, de quibus Ecclesiasticus meminit; (a) & ardentis flammæ globos, inter quos velut pisces in mari infelices animæ volutantur; quodque mala omnia superat, salutis desperationem, æternamque divina pulchritudinis videndæ privationem, quæ a

Theologis damni pœna nuncupatur, quam adeo atrocem esse sancti patres definiunt, ut damnatorum animæ, si illis optio daretur, quævis alia gehennæ tormenta, quam hujus privationis cruciatum, perpeti malletent. Quamvis enim ad pœnam sensus illa referantur, quæ propheta dicit, (b) *ignis, sulfur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum*; hæc tamen posterior pœna omnibus aliis multo est acerbior. Quæ quum ita sint, an non verissime Salvator ait, non esse timendos, qui corpori vitam adimunt, sed qui animam detrudere potest in gehennam?

Sed ad institutum redeamus. Quum ergo statim a morte decernendum sit, an in hunc locum perpetuo deturbandi, an in superis illis beatarum mentium sedibus collocandi simus; quomodo hujus tam disparis sortis consideratio non totam post se mentem nostram ebibit ac rapit? Quomodo aliud animo agitare, alia cura magis sollicitari possumus? Cyrillus post D. Hieronymi mortem Augustino scribit, si vere tamen hæc illius epistola est, duos homines, vita functos, ante sancti viri tumulum fuif-

(a) Eccli. 39. 36. (b) Psalm. 10. 7.

fuisse ad vitam revocatos: qui quamdiu in hac vita superstites fuerunt, in continuis lacrimis & gemitibus luctuosissimam vitam agebant: demirarique se vehementer ajebant, qui fieri posset, ut qui in fine vitæ rationem Deo redditori, & de tota aternitate sententiam audituri essent, ridere aliquando, ac non semper lugere possent. At nos qui hæc & scimus, & firma fide credimus, non modo ridemus & otiamur, sed multis etiam sceleribus iudicem nostrum, ante cujus tribunal sistendi sumus, offendimus. An non igitur fatuitas atque adeo cæcitas hæc omnem superat admirationem?

Sed quæret aliquis forsan, quibus se solatiis isti miseri consolentur, cum hoc tam ingens rationis reddendæ periculum fides illis, vel renitentibus etiam, ante oculos frequenter ponat. Multi quidem fatuarum virginum exemplo ad finem vitæ pœnitentiæ propositum differunt. In quanto autem salutis discrimine isti versentur, vix ulla oratione exprimi potest. Certe tota hujus evangelii parabola in hoc præcipue a Domino destinata est, ut nos hujus tanti periculi admoneat. Cum enim doceat, eas virgi-

nes, quæ paratæ erant, intrasse cum sponso ad nuptias: eas vero quæ tunc primum parari, & oleum quærere cœperunt, exclusas fuisse; aperte docet, cujus periculi sit ad extremum vitæ tempus pœnitentiæ propositum differre. Ideoque opportune nos admonet, cum subdit: *vigilate ergo, quia nescitis diem neque horam*: hoc est, quoniam tota salutis vestra ratio in hoc posita est, ut vos adveniens sponso paratos inveniat, quod prudentium virginum exemplo liquet, consequens est, ut omni tempore vigilare debeatis: hoc est, ut omni tempore parati, & bonorum operum oleo referti sitis. Si enim quo is tempore venturus esset, intelligeretur, potuissetis quidem opportuno vos tempore ad illum excipiendum præparare: quia vero hoc prorsus ignoratur, totiusque salutis vestra summa in hac præparatione posita est; semper utique vigilare debetis.

Quod qui non faciunt, sed ad extremum tempus pœnitentiæ propositum differunt, quid aliud quam miserandam fatuarum virginum sortem expectare possunt? Pœnitentia enim fera, raro vera, rarius aut numquam perfecta, semper autem

